



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Error dicentium verbum Est, idem esse ac significat, &c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

& usitatissimam locutionem, quia in mundi exordio Adam dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis*, & Moy'es Exodi 16. v. 15. *Iste est Panis*; & Judæi Matth. 2. *Hic est hares*. Et cap. 3. v. 17. Deus Pater ait, *Hic est Filius meus dilectus*: Et infinita alia, quibus Scriptura, & usus quotidianus plenus est: nam in his omnibus subjectum, & prædicatum idem significant, quod omni propositioni affirmativæ commune est, alioquin esset falsa; sed alio modo subjectum nomine communi demonstrans talem præsentiam: prædicatum nomine specifico, & particulari: nam quod objiciunt cum dicitur, *Hoc*, nondum esse Corpus, parvi momenti est: Propositio enim operativa qualis est ista, quæ mutatione quadam afficit quod significat, sicut non habet veritatem, nisi integrè pronuntiata, ita quoque demonstrat, id quod adest non eo momento quo subjectum profertur, sed quod aderit in termino pronuntiationis: sicut si Christus aquam in vinum mutasset in nuptiis Galileæ, his verbis, *Hoc est vinum*, vel costam in mulierem istis verbis, *Hæc est mulier*, non fuisset necesse rem demonstratam esse præsentem, nisi absolutâ tota oratione.

*Quæst. 3.* Quomodo confutati potest error dicentium verbum *est* in forma consecrationis, idem esse ac significat, ita ut sensus sit, *Hoc significat Corpus meum*?

*Resp.* In hoc verbo Zuinglius figuram inesse voluit, ut idem sit quod significat, sed contra linguarum usum: nulla est enim lingua neque Latina, neque Græca, neque Hebræica, in qua *est* aliter habeat significationem quam esse, seu ut Philosophi loquuntur, nudam unionem extremorum, est enim verbum uti communissimè significans, ita ut simpli-

ciffimè, in quod omnia alia resolvuntur ; ipsum verò in nullum aliud resolvi potest ; sic enim resolvis, Christus patitur , id est patiens ; ipsum verò ut inclusum , non potest resolvi ulterius, nisi resolvas in seipsum. Unde impossibile est in eo fuisse tropum : quia verò signum esse non est aliud quam significare , hinc fit , ut unum signum de signo prædicetur , vel res significata de aliquo signo parabolico sine ullo tropo soleamus , *est*, explicare per *significat*, ut ensis est gladius , septem boves septem anni sunt , semen est verbum Dei : Denarius est vita æterna , & similia. Itaque error ille Zuinglii ex imperitia natus est.

*Quest. 4.* Quomodo confutari potest error Calvinianus asserentis esse tropum in prædicato Corpus meum , ut sit idem quod signum , seu figura Corporis mei ?

*Resp.* Posito Calvinianæ erroris , illud *Hoc* demonstrare deberet Panem , quod supra rejecimus ; deinde Græcè additur articulus ὁ ἁλυσ *hoc* istud Corpus quod habet vim exprimendi veri Corporis , & distinguendi ab omni alio , quod etiam nomine Corporis significari potest , scilicet Corpus mysticum quod est Ecclesia , ac proinde ipsissimum illud verum Corpus meum : quod multò efficacius postulant verba sequentia apud Lucam & Paulum , *quod pro vobis datur* , quod verbo Græco ὁ δίδωμι , quasi diceret Corpus datum : conjungitur enim adjectivum in recto , cum substantivo Corpus , ita ut illud ipsum , quod vocatur in recto Corpus , sit datum : figura autem Corporis non est data pro nobis , neque in Cœna neque in Cruce. Evidentius autem id postulat forma Calicis apud Lucam cap. 22. v. 20. *Hic est Calix novum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur* , ubi ipse Calix sanguini-